



Quoniam Apostolorū discipuli passim per terrarum orbem Christo Ecclesiam colligerent, factum est ut etiam Britannia à S. Pauli auditöribus ab idolorum cultu ad Christum conuerteretur. Itaque factum est ut S. Lucius Thimotei discipulus, & ex regio Britanorum sanguine prognatus sibi proposuerit, plures homines in errore perseverantes Christo lucrifacere. Propterea Rhenum ascendens ubique Euangeliū prædicauit, atque demum in Boioariam peruenit. Ibi ad Danubium hærens substituit, atque eius regionis incolas in uera religiōe instituit. Deinde Augustam Vindelicorum celebrem urbem petiit, atque eadem ratione Germanorum aliquot cōuertit. cum autem plures essent, qui idolorum cultum nouæ huic doctrinæ præferrent, atque pium Christi præconem persequerentur, ad Rhētos profectus est. Iter autem ingressus periculosum per alpes ad Rhētorum Curiām peruenit. Vnde etiam locus ille, iuxta arcem Gutenberg, hodie quoque S. Lucij iter, uel S. Lucij Steig appellatur. Ibi autem inuenit S. Emeritam Christi fidem profitentem & docentem. Itaque hi duo multam operam collocantes, plures homines à tenebris ad lucem perduxerūt. Cum autem Romanī eam religionis mutationem ferre nō possent, atque Antoninus Imperator anno centesimo septuagesimo sexto Christianos passim persequeretur, factū est, ut primò Emerita Trīmis sublatus, postea S. Lucius quoque ab eius regionis præfecto ex sua spelunca ad arcem Martiolam perductus, atque deinde Curiæ martyrio affectus fuerit. Eccles.

Curiensis Annales. Iohan. Stumpff. in Rhetia. Hist. Eccl. Magdenb. Cent. 2.